


FRIEDERICUS JAEGER

# Dissertatio de keratonyxidis usu

de Haykul  
Viennae  
1812

# EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



## Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

## Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- ➲ Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- ➲ Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- ➲ *Suchen & Finden:* Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.\*
- ➲ *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)\*

\* Nicht in allen eBooks möglich.

## Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

## Weitere eBooks

Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.

Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>

Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>

Institut für Geschichte der Medizin  
Wien

D 2.876  
b.



Friederici Jaeger

Dissertation

de

Keratonyxidis

ussu.

K



Dissertatio  
de  
Keratonyxidis


usu  
quam annuentibus  
Illustrissimo ac Magnifico Domino Praeside  
et Directore, ac Clarrissimis  
D. D. Professoribus,  
pro facultate praxeos medicae in ditionibus austriacis  
exercendae, rite obtainenda  
in Antiquissima ac Celeberrima Universitate  
Vindobonensi,

disquisitioni publicae submittit

Friedericus Jaeger  
Medic. et Chirurgiae Doctor Kirchbergensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis  
aedibus die 24. Mensis Decembris 1812.

Viennæ Typis Antonii de Haykul.  
M. DCCC. XII.



JB





Perillustri, Celeberrimo

a . c

Doctissimo Domino Domino

V i r o M a x u m o

Georgio Josepho Beer

Professori Ophthalmiatricae

in Universitate Vindobonensi publico, extraordinario, Facultatis Medic. Sodali, Caesar. Regio egenorum oculistae, societatis eruditorum  
Göttinganae membro correspondenti: atque  
humanitatis, quae Pragae est,  
honorario.

*Perenne moderatori suo grati animi monumentum.*

D. D. D.

olim nobis C. antequili

animi, animi, animi

animi, animi, animi

105 Q. odoceo & c.


animi, animi, animi

Perillustris, Celeberrime

a c

Doctissime Domine Domine

Vir Maxume!



Gratitudine totus quanlus dimanans  
TIBI, moderatur charissime, TIBI in-  
quam, cui, quaequae oculisticae in cam-  
po novi, unice in acceptis referto; pro  
sapienti, pro paterno, quo academico  
curriculo meo hic loci gavisus sum, ductu  
intimas grates hisce publice offerre pre-  
sumo. Mihi quamdiu spiritum duxero,  
pectore numquam quidem excides.

Salutatione Cypriani  
Dedicatione Thomae Darbie

Vix illa

Utinam tam dedicatione , quam obla-  
ti materia TIBI complacuissém. TUUM  
enim mereri annutum, mihi intensissimum  
studium. Vale et fave

*devinctissimo Auctori.*

---

## *P r a e f a t i o .*

---

**O**pella haec , cur in lucem prodeat , titulus locet . Num thema propositum solverim ? numve operam plane perdiderim ? artis periti arbitrantur . In elaboratione , quam sieri poterat , brevissimus , mea , quae in re opinio es-  
set , proponere , praeprimis contendi . Ex re omnino fuisset , tum quod et ordo id postularet , tum , ut opusculum completius evaderet , quid pro antiquioribus cataractam operandi metho-  
dis , quidve contra eas pugnet , ubi indicatae sint , ubi non , ut dē Karatonyxide factam pro-

ferre. Verum tanta extensio non fuit in votis. Quare historicum; quod de illis attuli, in praesentia ut introductionem in hanc judices considerent, opto.

**O**bscuratio quaevis in oculi camera posteriore pupillam inter ac tunicam hyaloideam conspicua, seu illa lentis sit, seu aquulae (vaporis) Morgagnii, capsulaeae demum haec continentis, quae visum pro parte, aut ex integro tollit, cataracta audit, vel suffusio.

Morbus hicce, generi humano canissima inde ab antiquitate notus, ex eo, quod evolutionis suae, visui invidae, opus, sensus, quo gaudemus, nobilissimi jactura perficiat; objec- tum sedulo naturae curiosorum scrutinio nullo non tempore omnino sistebat, sane gravissimum. Nihilominus tamen et saecula effluxere, quibus medicorum milleni ferventi industria, menteque sublimi tenebrosum in organismum claritatem, in laesum novam fundebant vitam, donec ex oculo aprico plane tradito nox et crassa caligo dispulsae fugerent, evanescerent.

Praescindendo enim ab iis, quae tempus, quae intellectus sua ipse continuo in viscera saeviens, implacabili cum ratione perplexus pugna protulerit, causticissimis ea pingas, licet, coloribus; mirum tamen est, altaque memoria dignum manebit, fieri qui potuerit, ut plane

ibi, ubi omnia sensibus prorsus apertissime patent, ubi cuncta limpidissima claritate liquent, tamdiu abstrusa praevaleret obscuritas, atque circa ea, quae, quod eveniant quotidie, ipsa personant, in novissimam usque omnis obmutuerit aetas.

Ac prae ceteris quidem in historiam cataractae adtenti advertamus, ut quamdiu animus pelliculam in oculo recenter nasci, qua hic ab officio suspendatur, hallucinatus, videamus.

Unde Celsus 1) „Igitur vel ex morbo vel ex ictu concrescit humor sub duabus tunicis, qua locum vacuum esse proposui.“

Opinione porro, qua lentem crystallinam proprium visus organon esse 2) antiquitus credebant, diu praecoccupata serutantis mens, in hujus turbatione causam passionis quaerere neglexit. Nec vero cognitionum anatomicarum defectum horum culpaveris, fallax, quam de usu, destinationeque partium conceperant, mens delusit. Quod Rhazen 3) ille celeberrimus facto testatur insigni, qui senili aetate visu per cataractam orbus, chirurgum, ex eo, quod quaestio nem, quot numero tunicis oculus constaret? diluere nequiret, ab instituenda, quam paraverat, cataractae operatione ultiro prohibuit. — Verum haec transeant. Ast et posteaquam anno 1604 Kepplerus per vestigato, quid lens sibi

1) Aur. Corn. Cels. de medicina libr. 7, pag. 433.

2) Aur. Corn. Cels. l. c. pag. 432.

3) Albusarag. histor. dynast. pag. 291.

in oculo velit, hanc radiis lucis frangendis unice deservire definiverat, retinamque, ut proprium visionis focum sua in jura introduxerat, integrum adhuc praeter lapsus est saeculum; universi donec convincerentur, obscurationem lentis in plaga comparentem non neoformatam esse tunicam, verum morbo crystalli, ejusve capsulae, niti.

Esto vero is fuerit rerum status per saecula, naturaque, sedesque mali medicos latuerit; minus tamen eos fugiebant, media et modus, quibus malo propugnato turbatam oculi functionem pristinae restituerent integritati.

Nam silentio praetermissis inanibus cataractam efformatam vel saltem evolutionis in opere versantem (paucissimis fors exceptis casibus) medicamine in universum sistema aut in oculi compagem speciatim agente, impetendi conatus, novisse jam antiquissimos medentes depressione ac extractione, hunc profligare morbum, adeo: ut neutquam evictum sit, utri harum ius praemogeniturae rectius competit? sequentia statuunt: et quidem:

Antillus 1) primus post Christum natum non solum propositae, verum et reapse factae cataractae extractionis meminit, hancque cataractam operandi methodum, quamdiu ista parva est, commendat, majorem autem, quin et oculi humores simul profluerent, extrahi non posse autumans.

1) Rhazzen Cont. libr. II. Venet. 1506.

Avicenna 1) depressionem suadens; ait audere quidem chirurgos extractionem, sibi vero tentamen hoc nimis periculosum videri.

Avenzoar 2) extractione prorsus rejecta depressionem laudat; indicio utramque operandi methodum sibi notam fuisse.

Jam vero etiamsi haec methodus, prouti hinc concludi potest, minus usitata fuerit, quam depressione, etiamsi certa definitaque rationis, qua priscis peragoretur, destituamur traditione, majorumque artis nostrae volumina adeo parcam de ea mentionem injecerint, ut subsequis saeculis penitus periret, nullus tamen vel inventae illius gloriam, cui passim adscribitur, adscribe aetati vel Davielem verum extractionis adorabit autorem. Omnibus autem transsectam, per corneam cataracta educebatur; adeo ut re principali perfecte iidem, in exsequendo aequa, ac ea denuo rediviva, Daviel, Wenzel, Barth, Beer ab invicem speciali artificio divergunt, oppido diversi. Restaurandae vero extractioni nulla sane epocha magis secunda exquiri potuisset ea, qua Daviel, suam divulgans methodum, successu adeo felici universos attentos reddidit. Depressioni enim, eotum unice familiari adeo diffidebant, ut eam operationum chirurgicarum maxime dubiam haberent, immo in arte principibus 3) adeo infamis evaderet, ut eam penitus desederendam statuerent, cum ex ea nihil boni exspectandum, mala vero plurima, et ipsa quidem bulbi destruc-

1) Razen Kanon. libro III.

2) Avenzoar Thesis. lib. I. tr. III. c. 22. p. 82.

3) Heisters Chirurgie pag. 261.

tio dirissimis sub doloribus certa fere peritimescenda; siquidem e centum cataractosis vix unius gaudium contigit visus per eam recuperati.

Quid jam talibus rerum adjunctis potuit evenire magis consentaneum, quam ut extractio, eventu tanto praestantior (Davel enim e 206. cataractosis, quibus suffusio extracta, 182 diem rediisse nunciavit: 1) ambabus excepta, plurimis repeteretur, quo factum, ut unitis maximorum ejus aevi virorum viribus ac subsequae aetatis indefesso studio simplificatis ad eam requiris instrumentis modoque eam instituendi emendato ad eam mox eveneretur perfectionem, qua hodierni illam exerceant, non quidem eum adhuc naeta gradum, ut desieria expleret, tam sublimis tamen emineat, ut eam vel assequi, methodorum alia, laudabili ceterum contentione non obstante, usque potuerit nulla?

Quantum vero extractio ipsam per depressionem creverit, quantumque huic per illam accesserit? cataractam operandi methodorum abunde propalat historia. Enimvero haec repugnante licet extractionis luculenta praecellentia, minime neglecta; simplicior namque perfectaque quod facilior esset, e contrario vero dextera, aptaque, quam extractio deposcit manus, juncta nihilominus infelici hujus non raro eventu, eam porro non sustinuere solum, verum, ut excoletur quoque, animos magis incenderunt atque sic jam Willburgii ingeniosam per

1) Sabatier's Lehrbuch der pr. Wundarzney 2. Band.

ideam 1) de cataracta non recte deprimenda, sed in corpus vitreum reclinanda non parum profecit, verum, et magis exulta per Scarpam haec idea eo, quod hic cataractam e postica bulbi camera penitus exterminans, hanc in corporis vitrei fundum inter musculum oculi exteriorem et inferiorem deinertere docuerit, majorem adepta est perfectionem.

His non minus, quam technicismo ad solidiora principia exacto, quod feliciori institueretur successu, ejus p̄ae extractione eminentiam extra omnem jam teli jactum positam crediderunt, ultroque credunt depressionis asseclae; atque nunc eo magis, quod praerogativas ejus nova ditaverint observatione, quae non exigui omnino momenti, recenti plane cataractam operandi methodo p̄aebruit originem; ea nimurum, crystallum opacam resolvi, resorberique posse.

Observatione scilicet didicimus cataractae depressae particulas, aut et totam, non semper aegri permanens in damnum rerurgere, ita nec residuis post extractionem ramentis, quae pupillam nonnunquam suffundunt, perduranter visum turbari, verum cunctis his temporis tractu dis pulsis pupillam repurgari visumque redintegrari. Experientia poro docti sumus cataractas a laesioneibus oculi paulatim disparere visione eadem ratione redeunte. Cujusmodi exempla in Richteri bibliothecae chirurgicae primis decem voluminibus multa reperies.

2) Cl. Willburg Dissertatio de diversis hucusque usitatis cataractam operandi methodis.

Observationes hae computatae novam ingenierarunt idaeam, quae inauditae hucusque, ac minus periculosae operandi rationi ansam subministrans a Pottio primum 1) in effectum deducta est, cuius hanc in rem verba circiter sequentia sunt: 2) Cataracta pro parte dura pro parte molli, dura pars conatus omnes eam deprimendi irritos reddens postica in oculi camera consistit, capsulam vero rite aperturo, ut humore aqueo lens penetrari possit, pars solidas, etsi initio perquam conspicua, transitum lucis per pupillam inhibeat, lapsu temporis, in nonnullis prius, tardius in aliis resolvetur, ac tandem penitus disparate oculum adeo clarum sistet atque functioni propriae idoneum, ut aptiorem nec faustissima quidem operatione obtireas. Rem magis dilucidaturus, cataractam, quam indolis mixtae reperi, nec deprimere tentavi, sed ex suspenso lentis in intraneis circumvoluta ceteris partibus suo in situ relicitis lacerare contentus, hanc vix unquam non adeo resolutam vidi, ne vel minimum ejus remaneret vestigium. Occasione secum aliquoties ita ferente solidiorem

1) Anne vero Mathiolus Italus primus fuit, qui solubilitati lentis confidens, suam operandi methodum huic conformavit? Hic simplicis filii orichalcini loco, filis aureis in penicilli speciem colligatis per Albucasi tumum traductis lentem discerpere contendit. Vide Traité des Operat. d. Chir. p. Verduc. à Paris 1703.

1) Perciwalls Pott's chirurgische Werke, Berlin 1787.  
II. Th. p. 431.

partem anticam in bulbi partem protrusi, in qua pedetentim diluta, nunquam non evannuit, dolore vel alio incommodo resolutionis sub opere ne levissimis quidem subnascentibus.

Hunc exceptit Gleitz 1) qui forte admotus, quod Pott per anfratus perfecerat, breviori via peragendum suadet. Extractionis nempe laborem oboris subito cataractosi convulsionibus suspendere coactus, ne re infecta recedendum esset, acu corneae per vulnus ducta anteriorem capsulae partem destruxit, lentem resorptionis negotio ultro committens, qua 20 dierum spatio absumpta, pupilla undique serena visum restitutum laetus est. De industria repetitis deinde vicibus redintegrato periculo idem respondit eventus.

Idem Conradi cum eveniret, 2) hic meditabundus, ut est, sinistrum, quod fuit, insuum convertens emolumentum corneae per aperturam acum trajecit, qua parte capsulae prona animose discissa lentem absorbendam permisit, quod intra 12 septimanas factum consilio causa fuit, ut acu tenui, angusta, lanceiformi, pari modo, loco solum ab iride paulo magis remoto, a sub extractione fieri solet, per corneam in pupillam admissa, capsula sufficienter aperiatur, retractaque dein acu oculus deliga-

1) Gleitz nouvelles observations pratiques sur les maladies de l'oeil, ect. Paris 1786.

2) Arnemanns Magazin für die Wundarzneykunst. Göttingen. I. Theil p. 95.

3) Arnemann I. c.

tus per duas tresve dies relinquatur quo spa-  
tio vulnusculum ejusmodi consolidari solet ac  
dein lentis per resorptionem consumptio exspec-  
tetur.

Sperat laudatus fore, ut haec agendi ratio  
plerumque pari prosperitate coronetur, deesse  
vero sibi copiam plura per experimenta ex ra-  
tione fausti ad infaustum successum operationis  
valorem eruendi conqueritur.

Celeb: Beer 1) eodem plane tempore ex-  
tractionis sub opere difractae cataractae di-  
midium, relichto solum exiguo capsulae floccu-  
lo 19 dierum curriculo extingui videns aliorum  
adinstar methodum a Pottio propositam emen-  
dare in animum induxit, eumque in finem se-  
quentia pericula fecit 2) Cultelli ad cataractam  
extrahendam fabrefacti eadem, ac hoc sub ne-  
gotio, ratione per corneam, traducti cuspidi  
trans pupillam admissa, capsulam transcidit, quo  
facto eadem, qua inductus fuit, directione,  
cultellum sollicite retraxit, ulteriora a processu  
chemico animali exspectans, quae propriis ejus  
verbis hic adferam: „In 15 cataractosis, quo-  
rum 14 id utroque oculo fuerant, in 29 adeo-  
que oculis suffusis hanc methodum summa di-  
lignantia periclitans unicum votis respondisse  
observavi, id est, lens maxima pro parte alio-  
quin liquida penitus resorpta fuit, in altero  
successus imperfectus, in duodecim nullus,  
atque in uno resoluta quidem crystallo, capsu-

1) Arnemanns Magazin I. c. p. 184.

2) Arnemanns I. c.

la visum interceptit.“ Hinc conclusit successum hujus cataractam operandi methodi faustum haud frequentem futurum, paucissimosque tractatorum ea visum recuperaturos. Asserit porro a Conradi propositum operationis processum, quoad theoriam sane quidem ceteris anteferendam usui tamen vix unquam cessuram.

Venerandus Richter ille noster inquit: „ubi cataractam fluidam esse certo comperimus, operationem facile simpliciorem faciemus acu per corneam et pupillam adacta capsulam, patefaciendo, quo illa profundatur.“

Hekerus 2) mulierem hac methodo primam operatam fuisse sequentibus narrat. „Mulier angla oculista, vidente Mylord Rich, filio Comitis Warwic peace aperuit corneam supra pupillam et humorem aqueum exhausit, sive effluere sinit, qui turbidus et obscurior factus visionem imminuerat, ita, ut aeger quasi per velum se omnia confuse cernere crederet. Post humorum effluxum oculus concidit. Applicata remedia, imperata quies in tenebris, sic prospectum inflamationi. Aliquot post diebus, postliminio succrescente humore aqueo, qui est excrementius, non pars corporis, et qui reparari potest, intumuit, sive repletus oculi globus punctura ejus occlusa et consolidata nulla remanente cicatrice. Restituta visionis acie et perfecte curatus fuit aeger.“

1) Aufangsgründe der Wnddarzney. 3. Th.

2) Hekers Annalen der gesammt. Medizin III B. IX. St.

Propositionibus in hanc simplicem cataractam operandi methodum a Conradio, Richtero etc. factis, institutisque eapropter per Gleitzuni; Beerium experimentis res nulla amplius investigatione digna videbatur, (saltem data contrarium testantia me sciente nulla sint) cum res repente denuo per Dr. Buchhorn, qua nova, aut saltem novo nomine insignita proclamaretur. Hic namque per Celeberr: Reil eam in rem reflexus, captis in vario animantium genere experimentis, rem ad proxim traduci posse, doctus, tractatui autor fuit, cui inscripsit : „Dissertatio de Keratonyxide, nova cataractae aliisque oculorum morbis medendi methodo chirurgica,“ et Keratonixidem illam non innavit methodum, qua aeu ad id adaptata cornea perforatur, ut operatio quaedam in interioribus oculi partibus fiat. Secundum illum adhibenda est.

- 1) Ad varias cataractae species
- 2) — cataractas secundarias
- 3) — nonnullos alios oculi morbos.

Professor Langenbek perfecta hac opella Keratonyxidem dignam, quo in operationum chirurgicarum album reciperetur arbitratus, ut res a plurimis ad trutinam revocaretur effecit. Synopsis enim dissertationis commemoratae bibliothecae suae chirurgicae voluminis 2di fasciculo 3tio promulgavit, subjuncta ad calcem sua in rem mente additis simul quibusdam casibus de felice operationis hujus per se redintegratae successu perhibentibus.

Sermonem de hocce objecto quoque moverunt indices eruditorum gratia Göttingae, ephemeridesque literaturae Jenae edi solitae.

Abhinc Langenbek nullam recentis hujus operationis examini aptam occasionem transmittere, eam pro suo emendare; imo plus, et primae vivam in corneam arte factae puncturae sibi vindicare gloriam. — Anni spatio tantam collegit experientiam, quantam arbitro sufficere putabat; ac tandem judicium opusculo 1) quod edere distaturum se fuisse, indicavit, si quid in rem ad huc desiderari cognosset, protulit, quo methodum suam, omnibus numeris absolutam, usu facillimam, omni plane discrimine vacuam atque ad cunctas cataractae species apprime applicandam declaravit. Ast vero non ut medium ad promovendam obscuratae lentis resorptionem verum innuente id jam ipsa dissertationis titulo, ad facilem tutamque reclinationem hac operandi utitur methodo, ac nonnisi ubi per adjuncta quaedam, suffusionisve per naturam reclinatio fieri nequit, capsulam lentemque comminutas resolutioni vasorumque bibulorum activitati coneredit. — Peragit autem operationem hanc instrumentulo proprie ad id perse adaptato, acui Scarpa non absimili. Quadragesies et bis cataractam operatus, et quidem quamvis Keratonyxide, quadragesies et bis tanto cum successu, ut visio perfecta cuilibet re-

1) Dr. C. Joh. M. Langenbek Prüfung der Keratonyxis einer neuen Methode den Staar durch die Hornhaut zu operiren, ihn zu zerstückeln ect. Göt. 1811.

diret 1). Nemini jam mirum videbitur, qui Langenbekius tam felici operationum successu, quali nulla gaudebat methodus, abreptus ei nec supremum quidem lapillum amplius deesse ovari? Novus per eum oculisticae in campo videbatur illuxisse sol, sua perniciitate quaquaversus celerrime diffusus, immitandi ardorem inflammans. Mox ad prisma exactus, ast proh dolor! non fuit verus ille sol non mera radians luce. Colore perfectionis detrito fucus apparuit. Et profecto non facilis, nec periculo carens agnita nec cui libet exercenda. Operationes enim omni sollicitudine ad modum praescriptum exactas, exitus, quos solum post extractionem aut depressionem videre consuevimus, quoque nova hac methodo fugatos creduli sperabamus, sortiri obstupuimus; mox namque penitus inanis fuit operatio, mox vero pedisequam habuit ophthalmitidem funestissimis stipatam terminis, ut sunt cataracta secundaria, lymphatica, synizesis pupillae, hypopion, destructio bulbi. 2).

Professor Langenbek unus felicissimus, ei par nemo. —

Antequam vero meam de Keratonyxidis valore aut infirmitate sententiam depromere ausim, ejusve ad alias methodos rationem desigere suscipiam, liceat observationum propriarum copiam in medium proferre, quae dicendis fidem

1) Medicinische chirurgische Zeitung 1812. 1 B. S. 378  
 2) Vide Salzburg med. chirurg. Zeitung v. 1812 — 1814

conciliare valeant. Ennumerandas hoc loco operationes Prof. Beer instituit, cui assistens in harum eventum solerterem adhibui animum. Fiebant vero acu aut Langenbekii aut alia ancipita ad operandam cataractam adhiberi solita, pupilla hyosciani, aut belladonnae vi prius dilatata, inferiorem hujus super marginem per corneam adacta; humoris aquei praematura, nimiave per vulnus effusio, operationem, quae difficiliorem vel periculosam reddidisses, nulla nobis visa, quin vero potius acum iterato illatam, demptamque absque cammerae anterioris exinanitione conspeximus.



### Observatio I.

Hornung Ignatio pusioni septem menses in lucem edito cataracta pura lenticulari utroque lumine orbo die 28. Febr. 1811 capsula acu ancipiti aperta, nec inflamatio nec ulla obscuracionis alteratio; quare die 15 Julii anni ejusdem operatio reiterata, sed successus idem. Mense octobri a. c. Keratonyxide tertio instituta, quo lens plurimum discerperetur, acus quaquaversus ducta. Post hac inflamatio levis, qua dispidente cataracta contractior, pupilla, quod minus esset annulo pellucido cincta, candidior. His ita perstantibus operationem mense Mayo 1812 quarto repetituri, cataractam aridam siliquatam, quam perfectam ac comminutione resistenter deprehendimus, deprimere coacti sumus, parvulo id. tranquillus ferente. Inflammatio cuncta inde orta mox composita oculum attentius con-

templantes, cataractam resiliisse, ac planum inclinatum retro pupillam formando, visionem inhibere. vidimus. Quartus ab eo agitur nunc mensis, quo res eadem perseverat statu.

### Observatio II.

Illic Joannes 14 annos natus, oculo dextro jamjam obseuramente, sinistro cataractam lentilare, mollem, rite evolutam gerebat, quam die 4to Maii 1811 acu ancipiti deprimere frustra conati, quod semper resiliret, in frusta discissam resorptioni commissimus. Phlogosi insecura, opere non levi, discussa, cataractam quidem evanuisse vidimus, verum pupillam textu filamentoso tenui lymphae plasticae sub inflammatione exsudantis sobole fixam, visionemque admodum imbecillem misero impertitam doluimus.

### Observatio III.

Chinow, Francisco adolescenti 14 annorum cataracta centrali sat notabili visus in utroque oculo ita intercipiebatur, ut absque mente ambulare nequiret; objecta vero, minora quoque, sat vicina debiteque ad oculum sita distinguaret, immo, aegre quidem, legeret et scriberet. Keratonyxis huic plurima pollicebatur. Tentata prima reclinatio die 21 Maii 1811 non

successit cataractis elateris in modum continuo  
resilientibus. Causam hujus persistentem capsulae  
cum partibus inferioribus nexum rati, hunc  
que solvere in vanum adnisi, spe ducti capsula  
frequenti reclinatio[n]is tentamine sat esse  
discerptam, cataractas resolutioni resorptionique  
concessimus. Ophthalmitis postliminio nata fa  
cile diffata. Cataractae vero majores, visio de  
terior. — Trimestri post operatio renovata, at  
nec cataractae, nunc perfecte evolutae, lentem et  
capsulam occupantes, tam quam prima opera  
tione depressae manse[n]te, nec capsulae acum  
admittebant, qua dissecarentur. Phlogosis haec  
excepit pluribus hebdomadis durans, qua so  
pita lenti oculi sinistri absorpta capsula cata  
ractam aridam siliquatam sistebat. In dextro  
nulla mutatio. — Anno post patriis a lavibus  
Viennam redux, oculo dextro cataractam gere  
bat capsularilenticularem perfectam, pupillam  
ex integro praecludentem; camera anterior ab  
normiter ampliata, cornea obsoleta, bulbus ve  
ro totus varicosus; quemvis tamen lucis gradum  
percipiens. Sinister per cataractam aridam si  
liquatam a pupilla satis remotam visu distinctor  
privatus; ceterum valet.

---

#### Observatio IV.

In Catharina Zaceris seme[st]ri infantula  
utroque oculo cataracta molli lenticulare cae  
ca, post apertam, intervallo diverso temporis, ter  
nis vicibus, nempe die 22. Octobr. — die 27.  
Nov. et die 19. Dec. 1811 acus ançipitis ope, cap-

sulam, nulla inflammatio. nullum resorptionis vestigium.

---

### Observatio V.

Catharina Esquer, vidua 50 annorum, constitutionis validae, oculo sinistro post cataractae extractionem destructo, dextro ob suffusam lentem nihil videbat. In hac reclinatio per corneam fausta die 10. Maii 1811 instituta, mox enim ab ea pupilla serena, visus clarus, dempta, post triduum oculo operato, cataractam medianam resurexisse quidem patuit, sed hac 14. diebus post consumpta, visus bonus.

---

### Observatio VI.

Kammerhofer Josepho, 4 ultra 50 annos nato atque lumine dextro suffusionis per extractionem frustrato, sinistri vero lenticulari pura extincto, reclinatio hujus per cornicam 4. Maii anni 1811. instituta, cito denuo assulxit dies. Ast invida ophthalmitis dirissimis stipata capitis doloribus a destructione bulbi aegerrime nonnisi prohibita misero lymphatica tellula pupillae sub tensa hanc aliquomodo obscuravit; nec anni abinde elapo spatio vindictam hanc leniens.

---

### Observatio VII.

Laurentius Schöffner, quinquagenarius: utroque oculo cataractosus, valde cachecticus, at

que dextro capsulae cum iride perfectam concretionem, sinistro vero cameram anticam solito majorem insuber habebat. In hoc reclinatio per corneam die 23. Maji 1811 facta visum incompletum restituit, cataracta nimirum ad dimidium pupillae continuo resurgens, nec post 14 dies per pupillam superiori dimidio liberam plus lucis admittebat, quam ad incessum sufficeret.

---

### Observatio VIII.

Galasek Josephus 15 annum agens suffusam lentem et capsulam ac hanc insuper cum iride concretam sinistro in oculo gestabat; hujus concrementi solutione bis nempe die 24. Maji, et die 6. Junii 1811 incessum tentata, lens soluta est, capsula vero cum iride adhuc nexa, pupillam plus, quam medium opacans, visum parcum admittit.

---

### Observatio IX.

Eigner Magdalena: adolescens 16 annorum constitutionis firmae; post eruptionem crustae lacteae in gena dextra subito lucis commeatu per oculum ejusdem lateris cataracta molli privatitur. Haec die 6 Decembr. 1811 acu ancipiiti multifariam dissecta, resorptioni traditur; interne antimonialia propinantur. Crusta lactea post 20 dies evanida, cataracta gelatinam represen-

tabat, quotidie magis diaphanam, ac tandem in segmenta ad modum lentis macerationi subjectae fatiscens. 30. ab operatione die residua obscurationis particula in cameram anticanam prolapsa floccum niveum crystallisatum praesenterens, qui altera die ad fundum sponte demersus pupillam liberavit visionem integre reducem non amplius impediens.

---

### Observatio X.

Sollner Franciscus septennis puer capsula et lente utriusque oculi suffusis natus, bulbo tam inconstans, ut hic bina die 30. Decemb. 1811 et 18. Jan. 1812 facta, sub Keratonyxide hasta Pamartii ligendus fuerit. Inflammatio quavis vice subnata sponte cessavit. Alteram post operationem lente consumpta, capsulae remanserunt opacae visum in utroque oculo turbantes.

---

### Observatio XI.

Huber Franc. novennis, robustus, oculo sinistro gelatinosam per cataractam lenticulariem luce captus 15 Febr. 1811 pupilla multum ampliata, capsula consueto instrumento discessa, nec phlogosis nec mali alteratio. Hinc Kallendis martii operatio renovata. Ex hac lens soluta, capsula vero obscura pupillam praeclu-

dit. Haec 15 ejusdem M. aliquoties depressa, toties resurgebat inferioribus repagulis non liberanda. Facta eapropter puncturae in cornea cultello cataractae sacro, dilatatione, hamulo extrahi tentata. Uncello jam maxima cum capsulae parte extra oculum protracta, haec subito erupta celerrime retrahitur. Probabile hic est, hyaloidea per tensionem lacerata corpus vitreum in pupillam subiisse, hocque capsulam deprimam fuisse. Haec subsecuta phlogosis, cum tumore, et aucta muci secretione, quibus feliciter amotis pupilla serena, ast iris immobilis, cicatricula vulnusculi plagam in cornea notans, visus mediocre.

---

### Observatio XII.

Schuwirth Josepha, decennis, leucophlegmatica ob fluidam utriusque oculi cataractam lenticulari capsularem a nativitate caeca 3. Febr. 1812 capsulis acu perforatis proflua lens laticem aquosum turbavit, quo post aliquot dies denuo limpido capsulae jam ante operationem hinc et inde opacae punctatae pristinum locum obsidentes pupillam luci imperviam reddere visae. Die 7 April: deprimi decretae id vero sinistro in oculo, ex eo, quod capsula solum partibus superioribus disjungi potuerit, non cessit voto. Quare eam cornea per caedendum vulnus extrahere susceptum 20. Maji, libera capsulae sinistrae pars tractum hamulum morigera sequebatur, donec intermedie per partes firmiter

adhaerentes connexis vel capsulae vel hyaloideae tensissimis cedendum foret, tunc postrema rupta, illa hamulum repente deseruit; considerabili corporis vitrei copia cornea per vulnus profusa; bulbus hinc cito deligandus fuit. Dextri oculi capsula capi nequiens disceptra. Bulbus uterque exinde incensus, tumuit, mucum majoli quantitate reddens. 5ta ab operatione die regbatis oculis prolapsam iridem utroque in oculo conspeximus, inflammatione decessente cum vulnera conglutinata.

Status oculorum quatuor mensibus post: obscura dextri capsula, ut prius retro pupillam, expansa visum impedit.

In sinistro praeter iridem, pars etiam capsulae pretractae corneaे vulneri adcrevit. Dum vero capsula per corpus vitreum maximam partem loco trusa latus occupet, pupilla libera, visus restitutus.

---

### Observatio XIII.

Schmidt Elisabeth, puella 7 annorum optime valens, cataracta fluida utroque oculo captata. 20. Aprili 1812 Keratonyxide instituta acus capsulam vix penetraverat, cum jam fluida lens prorumpens humorē aqueum turbaret. Quo tamen capsula rite discerperetur acies, quantum in turbidis fas erat, omnem in partem prudenter ducebatur. Circa vesperas eclysis, vomitatio, vomitus, parvis tamen aquae melissae li-

quore anodyno et laudano liquido Sydenhami remissae dosibus, mox compositus. Recedente inflammatione, humor aqueus quoque decolor redibat. At vero capsulae adiaphanae nec essentia mutatae, nec loco motae 4to abinde mense cundem statum sustinebant.

### Observatio XIV.

Hac Francisco adolescenti 15 annorum valido, cataracta oculi sinistri, lenticulari, molli, cui centralis capsulae obscuratio complicata est, laboranti, 1. May 1812 capsula una cum lente acu ancipiti omnem in sensum, quam fieri poterat, diligentissime dissecta, enatam in meditulio pupillae pellucidam per plagulam complura illico distinguere objecta concessum fuit. Ab operatione levissimus bulbi rubor, sed pupillae obscuratio plenaria. Elapsis 4 hebdomadis resorptionis initia, duabusque postliminio effluxis, pupilla clara, visus bonus. Si vero haec dilatetur, capsulae opacus orbis discernitur tenue transversim tendens filum quo iride valdopere contracta pupilla in majorem et minorem distaminatur.

### Observatio XV.

Kollmann Franc. Miles stipendiis confectis (invalidus) lenticulari cataracta oculo dextro

caecus, decrepitus, ulceribus crurum foedus, duplice hoc postremo intuitu, quo depressionem per corneam extractioni praetulerimus, fuit, qua Langenbekii acu facta, lens omni licet pressioni morem gerens, usque tamen rediens inferiorem supra pupillae marginem eminebat; scabrosa liquidaque superficie, quod esset, tractata, liquorem aqueum turbabat. Post operationem inflammatio erysipelacea, vulnusculi puncti suppuratio, ac pluribus diebus post visio. Ast animali ex vita in universam jam maturo, hoc gaudio frui paucis duntaxat, septimanis fuit concessum.

---

### Observatio XVI.


Annae Bráml, 50 annorum, temperamenti per quam irritabilis, aniculae, lente una cum suo involuero opaca utroque lumine exutae; die 11. Maj. 1811 in sinistro lens acu Langenbekiana celeriter et perfecte reclinata, in dextro vero cataracta molli et liquida, reclinari non paciente, disceppta solum. Inflammatione ab operatione facile extincta, illi purissimam per pupillam visus redit in hoc vero nec post 4 menses ulla malit mutatio.

---

### Observatio XVII.

In Mirtinger Georgio seniculo robusto 70-agenario ante novennium per cataractae ex trac-

tionis sequelas oculo sinistro frustrato, alterius lumine per capsulari lenticularem destituto, 17. Julii 1812 Keratonyxis facta. Facile capsulae nexus superior lateralisque cedebat, obsequiosa in fundum bulbi deprimebatur, pupillam limpidam relinquens cataracta, at vi premente vix remittente, adeoque acu ex oculo vix tetracta, resiliens locum pristinum recuperat. Saepius dein eandem per aperturam absque humoris aquae dispendio illata acu depressio repetita; sed opera perdita, continuo resurgens planum inclinatum retro pupillam sistebat. Vehemens inde ophthalmitis, ac hinc nullo labore avertenda supuratio in cameris et pupillae synizesis. Phlogosi devicta fato in oculum impingit aeger, quo multus in caneram anticam effusus crux visus pupilla artificiali restituendi spem abstulit; ac tandem athrophia bulbi complementum mali.



### Observatio XXIII.

Krantzer Theresia 22 annorum juvenis constitutionis firmæ, valetudinis ceterum paucraticeæ, tribus jam annis cataracta capsulari gelatinosa sinistro in oculo visum patiebatur turbatum. Hinc cum die 14 Julii 1812 capsula in lentem usque profunde percinderetur, repentina oculi motu, iris in collum acus levissime impingit, unde vertigo, eclysis, sed vomituritio nulla, situ in dorsum quieto mox evanida. Horis tanten aliquot post, ophthalmitis dolore una per gradus increscente tanta evolvitur, ut nonnisi

generoso adparatu antiphlogistico citam bulbi destructionem arcere contingeret. In camera tamen postica puris natus fons velut cornu copiae in anticam exundabat; sensim dein resorpto pure, synizesis pupillae perfecta, lymphaeque plasticae in anticam iridis faciem exsudatione, tentamen quodvis visum restituendi irritum redditum. Ac quartus nunc ab operatione labitur mensis, quo invicta pergit chronica habitu phlogosis atrophiae bulbi metum jure incutiens.

---

### Observatio XIX.

Litzmaier Josepha puella 9 annorum, connata utriusque oculi cataracta arida siliquata visum magnopere limitante affligitur. Summo labore die 4. Aug. 1812 in mobilissimum bulbum admittebat acum, qua facta reclinatio resurgentे continuo suffusione imperfecta mansit, quam, summa quamvis sollicitudine iridis laesio conflictusque vitaretur, ophthalmitis tamen non exigua, suppuratio, synizesis pupillae ac magna in atrophiam tendentia consecuta.

---

Sufficientia his fide ennaratis dixisse me arbitror, ut, quibus sequentia confirmem habeam. Esto vero haec, ut perfunctorio solum intuitu facile liquet, Keratonyxidi minime faveant, immo potius contrarium ab hujus defensoribus al-

legati, probent, ac ab ulterioribus periculis multos fortassis repellere magis idonea evaserint, iisdem tamen Keratonyxidem manuali in medecina non solum magni momenti, verum etiam ejusdem juris, quo extractio reclinatiove gaudent, aequae dignam esse, Buchhorniumque eo, quod hanc oblivioni eripuerit gratum omnium animum mereri, demonstrare mihi posse videor. Haec enim cataractam operandi methodus sui technicismi simplicitate, artificio definito, violentia perexigua, incommoditate pro paciente minima præt ceteris se commendat, ac nisi caeco obsessum affectu, egoisticave retentum contumacia, suas quemque in partes transire cogit.

Campum vero illi ampliorem, eo extractionis reclinationis vindicare valoremque ejus majoris aestimare, nefas, quin potius arctioribus haec constringuntur cancellis, rite autem indicata utramque et vel praecipue extractionem longe praeit, successuque quo coronatur secundo, praestantiam abunde evincit. Ast et hic evenit, quod aetatem nostram passim adurit, unumquemque scilicet: extrema tantum venari, sua unice merita agnoscere, aliena contemnere, eoque, quod tenuisse beatum, aureo a medio aberrare. Qui igitur majora ex Keratonyxide postularet, ac ea praestari possunt, qui in agendo sphærā ejus transcedit, semet ipsum deludit, alios fallit, atque in veritatem et artem peccat. Quare bona, ut proficiant, si optat naturae curiosus, paccato ad scientiam prorogandam, arrogantiaque privo accedat animo,

nec proprium deperiens gnatum, hujus praetervideat naevos, nec aliorum non cernat virtutes.

Keratonyxis facto de materiae animalis continuo commercio superstructa, crystallo aegra ad hoc provocat; ejus technicismus, quo ex hoc cambio usum trahat, adornatus, eo unice tendit, ut methamorphosin hanc in lente moveat, motam expedit, atque, submotis, si quae obicem ponerent, impedimentis absolvit efficiat. Hoc Keratonyxidis munus, haec extensio, hic ambitus; quidquid extra hos cancellos, id ab ea alienum. Jam nunc vero eruendum, quibus materiae animalis huic cambio crystallus obscurus subducatur. Atque hunc in finem sequentia commemorasse juvabit: Quaevis, morbo extra circulum activitatis corporis nostri posita pars, quodvis machinae nostrae rigidum constitutum, qua tale, ex se sui resorptioni resistit. Atqui lens opaca ut rigidum, ut morbo et capsula sua efficacie corporis nostri subtracta particula, cuivis resolutioni atque adeo resorptio- ni, quamdiu talis, refragatur. Et reapse quis, quae-  
so, lenticula sua reclusam capsula dispa-  
ruisse vidi? Ut ergo resorberi apta evadat, ab  
haec liberanda, atque cum medio in contactum  
ponenda, quo dilui, quo fluida reddi possit.  
Hoc menstruum est humor aqueus, quo emolli-  
ta resolvitur, atque celeritate, ad venarum bi-  
lularum activitatem directe se habente, dispa-  
ret. At vero, quod lenticula egregie liquefa-  
cit, non aequa capsulam solvit. Haec fibroso  
membranaceo textu, propria, suae destinacioni  
in oculo respondente, indole, cuivis humoris  
aquei fundenti vi resistere nata commerci-

um materiae tamdiu solum agnoscit, qua mdu  
vasa ejus integra, quamdiu non oblitterata.

Haec per experientiam dictata veritas Ke-  
ratonyxidis normam statuit, atque nonnisi se-  
quentibus sub conditionibus secundum pollicet-  
tur eventum.

1. Crystallus caliginosa a capsula liberari  
possit.
2. Eadem ita conformata sit, ut humore  
aqueo emmolliri queat, solvique.
3. Vasa resorbentia vi lentem liquatam in-  
halandi polleant.

Quod jam liberationem lentis a capsula ad-  
tinet, id solum eo intelligendum est, ut capsulae  
facies anterior, de qua hic enim sermo, li-  
bero humoris aquei ad lentem aditui sufficien-  
ter apperiatur.

Raro autem lens, cuius in solutione ope-  
rationis finis unice nititur, eam init soliditatem  
et duritiem, ut menstruo hoc emolliri lique-  
fierique non posset; crebro vero, proiecta prae-  
sertim aetate, tarde solum ac lente procedit, ac  
nonnisi repetito artis auxilio aliquis editur effec-  
tus. Ubi vasa lymphatica jam nimis stricta, ubi  
vis eorum resorbens debilitata, nec resolutis  
suscipiendis aut susceptis ultro vehendis sunt,  
ubi caecitas jam ipso marasmo gignitur; aut ubi  
per statum morbosum systematis lymphatici  
resorptionem illam requisitam non futuram

praevideri prudenter potest, adeoque nec in censem jam sumptam efficaciam exerere valet, operationem hanc amplius indicari nou duco, nec ullum operantium ejus esse animi, quo anticipitem operandi methodum, illi anteponeret, qua velocius, tutiusque magisque definite scopum assequi certus. 1) Quare momenta haec ante operationem probe expendenda.

Capsula vero secura manu determinatisque ductibus, acu acerrima in lobos quaquavorsum descendenda est, ut horum nexus mutuus ita tollatur, quo illa, si normalis fuit, destructa ulterioris nutritionis potestate, exsiccari, corrugari atque perstantis cum corona ciliari cohaesionis vi retro uveam retrahi cogitur non amplius obex visui unquam futura. Si vero obscurata vasis obstructis resorberi nequit, si nexus, aequabilive expansione corrugari ac retro uveam retrahi impeditur, dissectione imperata id saltem ejus in medio, ut fieri possit, efficitur.

Quam jucundum, quamque utile jam foret si expeditu haec tam facilia essent, ut viden-

1) Celeberr. Beer haec dissertationem perlegens sequentem a se factam adiunctionem inseri petuit:

Cum autem experientia nos edocet, uti quoque ex catalogo proprio de cataractosis, in quibus operatio a me instituta (qui hucusque mille ducentos quinquaginta quatuor numerat) quovis momento demonstrari potest, quam plurimos cataracta vexatos esse seniculos, mere decrepitos utcunque rigidos, solutioni et resorptioni lentis opacae nullomodo faventes, luculentem etiam, ut pateat, necesse est, Keratonyxidem propriam sic dictam nonnisi raro vere indicatam esse. Beer.

tur, si ubique, ubi capsula lenti resolutionem inhibet, in usum vocari tuto possent? At quam dissona his sunt, quae in praxi experimur? Quantus enim cataractae specierum sua jam natura ab hac operandi methodo abhorrentium numerus?

Aut iis, quae per accidens operationem ingravant, hujus eventum dubium reddunt, aut frustrantur, nec in considerationem sumptis, vel solam capsulae dissectionem si fueris contemplatus, quanta jam hic operantem ab instituto desistere jubent impedimenta? Quare si capsula ob deficientem materiae permutationem admodum tenax, solida facta, aut exsiccata fuerit, ut exempli causa, cataracta arida siliquata; quovis omnino tentamine abstineas, moneo; labor enim perditus, nec mucronem acus in obscurum adiges taceo, ut id ita discindas, ut vel dimidia operaे pretium.

Par et ex cataractae liquidae operatione eventus; pertusa enim capsula (ut plurimum enim affecta) suffusione lactea effluxa laxior, acus mortum quamvis sequatur, ocyus tamen hoc vel illo solvetur nexus, quam ut debite perscindi patiatur. Tentamen igitur tale vanum, visus namque post id cataracta pure capsulari, quemadmodum prius, bac et lenticulari simul cliditur.

Si porro capsulam cum uvea concrevisse contingat, si pupilla ad maximum, ut oportet, ampliari nequeat, nullo plane casu excepto, meo saltem consilio, haec operandi methodus postrema. In primis enim capsula, cum debite conscin-

di non possit, cataractam posthumam capsula-  
rem certo sistet; iridem dein ne tangas, distra-  
hasve, vix evitabis, quod vero ne fiat, omni  
studio contendendum esse, ipsi Keratonyxidis  
primi defensores, et quidem jure merito, cau-  
tos non satis juberi posse, dicunt, quia iritidi  
violentae, cuius tristes sequelas ardue solum  
avertimus, proximam ponit ansam. — Quam  
autem de hujusmodi concretionis disjunctione  
quidam conceperant idaeam, rem nunquam fuisse  
nec unquam futuram existimo. Nam praeter-  
quam, quod solutio ejusmodi concretionum adeo  
celebrata non solum mere fortuita sit, sed insuper  
a non facile determinando cohaerentiae, extensi-  
onis, intensionisque gradu dependeat, nec fors  
unquam operantis dexteritati attribuenda; eam  
acu per corneam in bulbum ducta exigi posse  
vel simplicia mechanices principia, manifeste  
insificantur. Supposito nimirum opera autem gra-  
vitatis partium per id genus solutionem afficien-  
darum non ignarum, scire quoque quatenus eas  
impune petere fas sit,

Jam autem cataractae speciebus suam per  
indolem Keratonyxide medicina proprie quibus  
conveniat, ex praemissis concludere est.

Quo cataracta scilicet purior, quo capsu-  
la minus affecta, individuum quo junius (dem-  
pta tamen infantia ad consequendum scopum,  
laesionemque declinandam oculis nimis lubrica)  
quo validius et magis activum sistema lymphati-  
cum, lentis consistentia solvi quo aptior, eo  
plura, quibus hanc notarum cuivis praeferas  
methodorum, habebis motiva.

Cunctas autem cataractas capsulares hac methodo excipi non contenderim, eas vero solvi ineptas convicto solum notare liceat: sibi Keratonyxidem, ubi capsulam rite discissam corrugatum, ejus lobulos retractum iri, certe praedi ci nequit, ibi operationem maxime dubiam haberi; neque indifferens videri, eam saepius, inaniterque instituisse. Universim eam adeo facilem et periculo vacuam reputare, cautum, neque technicismi simplicitate seducat, neque mendaci incantet innocentia. Latet anguis in herba. Extractione reclinacione quoad eventum, nullatenus constantior. Praefeream, et hanc prorsus non praevisa operationem non raro eludere immo et organon destruere, quod ipsi imputatur; sed quis operantium quaeso, tam certa aget manu ut iridem laedere semper profecto vitet? offendit, quae inulta non patitur, aut quomodo suspensissima, liberrimaque, qua operationem exequi oportet, acu tanta sub oculi nunquam tollenda mobilitate continuo vitabit? Ast nec solum hoc est, iridis unde mechnica offensa. Frequentius dexterí operantis acu ipsa iridem laedit cataracta. Humore aqueo solvenda crystallus eadē, qua mollescit, ratione tumescit, spatium, quam adsit, majus continuo sibi vindicans, partes vicinas indefesse intensis viribus cunei adinstar ab invicem distendit sicque flamas incendit, non domandas. nec nisi organo persuppurationem exeso, aut atrophia consumto deflagrantes.

Gravis hinc lex: capsulam dissecturus lentis in substantiam profunde non penetrato, ne sublata cohaesione emollitio tanto rapidior; tem-

poris potius, humoris aquei sorbentiumque vasorum virtuti id committito negotium; alteraque successive consummi cataractam operatione facere praeferto magis, quam ut festinando, oculum perdas.

Circa particularum singularum ex oculi camera anteriori emmandationem perquam superfluam, ea, quae de concretionum disjunctione dicta, valento. Nec suae operans dexteritati tribuat, si lentis quaedam particulae in anterorem oculi cameram trannaverint, nec magni id faciat sed superis gratus immolet, si acu intempestive ac effranate volutans oculum ipse non subruit, nec bulbum, tenerum hoc organon pro sphaera habet, in qua, ut, cuivis sua fert, libido, in instrumentis exerceri licet.

Capsula vero, ceteris oculi partibus, quam fieri poterat maxime parcendo rite discissa, hic ab ulteriori irritamento sollicite muniendus, ne quavis fere vice, alioquin subsequens inflammatio augeatur, aut creata saltem in phlogosin major opportunitas in hanc ipsam exaltetur, organonque discrimini superfluo exponatur. Assidua post operationem in oculum attentio, prouti et promptissimum, si quid praeter normam evenit, auxilium, etiam me non monente, administrabitur.

Cataractae autem solutionem ac evanescenciam oculi ab activitate tranquillus exspecta, nec tuum agere praecipita; saepe enim resorptio celerius progreditur et plus resorptum est, quam e residua adhuc obscuratione concluseris. Absorptionem vero inflammationis ab operatione ex-

citande metu abacto externis promovendam tunc solum affirmaverim, dum tempus, intra quod eam jam contingere oporteret, absque effectu praeterlapsum, aut reliquus corporis status inertiam systematis lymphatici jure supponere jusserint. Quibus sub adjunctis, si de capsula sufficienter adperta, convictus sum, humorem aqueum profundi longe optimum resorptionis promovenda adminiculum, idque scilicet innocuum; effuso enim eo partes oculi cameris reclusas incredibili celeritate absorberi vel hypopian ostendit; nam in pus bulbi cameris summis sub doloribus collectum, cum per dies imo per septimanas medicamina vim resorbentem acuentia, interna et externa, nihil profecerunt, ruptam per corneam effusus humor aqueus medicum anxietate, aegrum doloribus liberat. Nec simultaneam id per puris evacuationem sieri sibi quispiam imaginetur; non raro enim cornea multo supra illius stagnum rupta elabendi facultatem negat, eventu nihilominus aequali; imo et magna quantitate in cameris oculi adecumulatum pus, saepe inaudita celeritate absummi cornea etiam integra, docet quotidiana experientia.

Capsula autem non sufficienter adperta, aut lente minus compacta liquefactioni resistantibus, si Keratonyxidem per adjuncta institui liceat, hanc renovato.

---

Depressionem per corneam Langenbekio laudatam quod concernit, in eam, quam poscit, abire sententiam ex tum dictis, tum dicendis,

Justus non possum; immo vero ex opposito artem hac, retrogressam arbitror.

Willburgium eo, ut supra vidimus, bene meruisse, quod depressionem, reclinacione cataractae in corpus vitreum emendaverit, jure agnovimus, quam postmodum Scarpa hanc e camera postica plenarie submovendo, atque in sphaeram hyaloideam demergendo magis perfecit. Jam vero, quo jure Langenbekius horum meritis Keratonyxidi palmam eripuisse, huic praerogativam conciliasse confidat, sequentia docebunt, et quidem: prima reclinacionis conditio est: Lens una cum capsula suis vinculis liberata e postica bulbica camera remota in corpus vitreum ita demergatur, ut inde evadere non sit; aut, ut capsula restitans ita discerpatur atque dividatur, ut subsequa ejus obscuratio visioni nunquam noxia.

Id consequitur acu per oculi tunicas admissa, in cataractam, sicut vectis in pondus agendo.

Ita semper quidem agitacus sive per corneam, sive per scleroticam inducta, et modo, utroque in casu, profecto aequali hypomochlion in tunica pertusa habens. — Considerata ponderis distantia patet, hoc vectis actione diverso pro hypomochlio diversum in locum promoveri. — Jam vero cataractae situ nexusque rite intellecto, qui acu per scleroticam immissa scopum praesum adipisci valeam, debeamque, probe video

quomodo vero eum hac per corneam adacta certo assequar, prorsus non capio. Hoc enim loco acu vectis in modum tantum in supremam lentis partem agendo hanc simpliciter reclinabo, capsulam ex inferioribus repagulis certo nunquam solvam, et si solvero, id mere fortuitum erit. At vero Scarpa docente, cataracta non replicanda tantum, sed etiam ex postica camera removenda est; jam autem qui hoc acu per corneam ducta fieri possit ex legibus vectis mechanicis cum situ partium oculi collatis, quis dicat; amabo?

Qua porro ratione cataracta tenebitur reclinata cellulis corporis vitrei per repetitum cataractae descensum et ascensum [quod crebrum est] anterioribus laceratis, camera posteriori multum ampliata, cataracta vero ipsa vi persistentis partium inferiorum connexionis tensa ut corpus elasticum continuo resiliente. In tali eventu nec operans nec aeger sibi complacebunt.

Altera conditio est: Oculo sub operatione, quam fieri potest, maxime parcatur, quo ophthalmitidis fomit tem sollicite arreas.

Verum quidem est hoc respectu puncturam per corneam tutiorem, laesiones plagam minorem esse. At quaeri potest, an simplex scleroticae et choroideae perpunctio adeo periculosa? an in hac funesti successus frequentiae talea? Experientiae vox hic unice decretoria, qua cum constet non simplex illud vulnusculum, sed ignorantiam, quo modo, queve loco punctura

innocua; inconditam acu, tentaculi adinstar, sus deque, factam motitationem in oculi interioribus, processuum ciliarium destructionem, corpori ciliari et uvae inflictam offensam, corporis vitrei pleuariam dirutionem, laesionem porro contusionemve retinae, improvida cataractae depressione positas incusari oportere; quare meliori methodo infestiorem praeponerem, non video.

Accedit, quod jam demonstratum est, punctura per corneam laesionem partium oculi nobiliorum minime vitari, quin potius vel nimis facilem reddi. Plures vidi depressiones per scleroticam, nunquam vero, etsi, successus operationis spectata cataractae remotione, optatus non fuerit, ejusmodi phlogosim, eo minus suppurationem aut plane ruinam oculi, eam, sicut Keratonyxidem, sequi testis sum. Paucorum semper dierum spatio levi rubedine, aut et inflammatiuncula vulnere consolidato, oculus convaluit.

Praesentiarum porro historia docet laesio-  
nem scleroticae et choroideae depressionis sub  
opere necessariam tam levem esse, quam  
Keratonyxidis amici eas corneae defendunt. Sufficiat D. Prof. Landishutensem Walther aduxisse 1) qui nuperrime 34 cataracta obcaecatos reclina-  
tione per scleroticam, nulla unquam inflamma-  
tione spem turbante visu donavit.

Quae cum ita sint; quis hanc gravare au-  
deat? Quis eam emendare, quisve in ea subse-  
quae phlogoseos german quaerere suscipiat?

---

1) Salzburger medic. chirurg. Zeitg. 1812.



## *Theses defendendae*

1. Cordis substantia caret nervis.
2. Placenta foetui est respirationis organon.
3. Cutis functio non consistit in sola transpiratione.
4. Non quaevis idiosyncrasia ex organismi individualis constructione eruenda.
5. Foetum in utero respirare non posse, nondum evictum.
6. Vermes animalium ex horum organismo ipso originem ducunt.
7. In Nosologia morbos sibi similes probe discernere maximi momenti est.
8. Exstant morbi primarii humorum, sicuti partium solidarum.
9. Sepsis, vera putredo, humorum nunquam in corpore vivo adesse potest.
10. Typhi datur Stadium inflammatorium.
11. Febris nervosa omnino a febre putrida distinguenda.

12. Venaesectionem in inflammationibus,  
non aetas morbi, sed virium conditio et symp-  
tomatum ratio dirigit.

13. Fistula vera lacrymalis, perfectam ra-  
ro admittit sanationem.

14. Cataractae extractio reliquis methodis  
anteponenda.

15. Perforatio placentae orificio uteri in-  
sidentis, ad feliciter peragendum partum praef-  
erenda est solutioni.

---





UB Med Uni Wien



+AM274152100





[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)